

## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,  
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in  
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiariorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

553. Quæ origo, & quis processus hujus regulæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](#)

rum beneficia; quia absentia est legitima & approbata à Concilio. Castr. loc. cit. Quamvis Cardinales obtinentes Episcopatus & Archiepiscopatus alios, & in iis residentes obtinere soleant indultum à Papa, ut in omnibus gratiis, favoribus, privilegiis concessis Cardinalibus re ipsa in Curia praefentibus gaudent, ac si præsentes essent. Garc. loc. cit. n. 406. Chok. hic n. 9.

7. Tertiò denique ad finem hujus regulæ apponitur decretum Papæ irritans omnium, quod non solum se extendit ad omnia contenta in hac regula, sed etiam ad omnes alias regulas præcedentes; ita ut irritentur omnia contra hanc, & omnes regulas præcedentes attentata. Chok. hic n. 13. Garc. n. 407. Castr. loc. cit. n. 7, citans Barb. ubi supra, n. 138. Gonz. Ricc. &c.

## PARAGRAPHVS VII.

### De Regula octava, quæ dicitur Regula reservatoria mensium, ac imprimis de prima ejus parte.

*Quæstio 552. An hæc regula cuius materiam  
uti salebrosam & difficilem, ita toto orbe fre-  
quentissimam vocat Chok. in proœm. ad  
hanc reg. n. 1) sit eadem cum illa, quæ olim  
vocabatur regula de mensibus?*

R Espondeo, magnam esse inter has regulas differ-  
entiā, per illam enim regulam de mensibus  
(cuius tenorem, prout habetur in regulis Sixti IV.  
Anno 1471. legere est apud Lott. l. 2. q. 37. n. 1.) nihil  
amplius inductum est, quā quid in 4. mensibus in  
ea designatis, nempe Martio, Junio, Septembri,  
Decembri, Ordinarii de beneficiis, quæ non essent  
generaliter reservata, vel affecta, liberè possent di-  
sponere, non obstantibus exspectativis, quarum  
tunc frequens erat usus (clausula siquidem perinde ac  
si exspectativa grata, non emanarent: id operabatur, ut  
simpliciter inducta eset remotio obstaculi ex ex-  
spectativis) adeoque per concessionem istorum 4.  
mensium non ceſebatur Papa sibi reservare sim-  
pliciter octo reliquos menses, sed tantum secundum  
quid, & in ordine ad exspectativas, adēd, ut in quo-  
cunque mense vacaret beneficium, si nullus com-  
pareret exspectans cum processu fulminato, qui  
beneficium acceptaret, posset Ordinarius liberè  
conferre beneficium, & consequenter, cessantibus  
exspectativis, omnes menses cedebant dispositioni  
Ordinarii, Lott. loc. cit. n. 4. In regula vero, de qua  
hic, Papa sibi reservet 8. menses; unde rectè dicitur  
reservatoria, hoc est, non tantum beneficiorum, quæ  
vacant istis mensibus, sed etiam ipsorum solidorum  
mensium. Lott. n. 3. Per quod tamen non nega-  
tur, etiam, antequam per Concilium abrogarentur  
exspectativas, consuevit Pontifices facere duas re-  
gulas distinctas, unam videlicet super 4. mensibus  
pro Ordinariis contra exspectativas, quæ diceba-  
tur reservatoria mensium pro Episcopis; & alteram  
huius nostræ persimilem super 8. mensibus, quæ ideo  
nuncupabatur reservatoria 8. mensium. Lott. n. 8.  
Hac vero regula de 8. prius per pontifices conci-  
piebatur per clausulam: usque ad cessationem exspecta-  
tivarum, quo casu cessantibus exspectativis, cessa-

bat & ipsa regula cum tota ejus vi reservatoria, de  
in concepta simpliciter, ut Papa solus in iis provi-  
deret de vacantibus, Lott. n. 7, citans Paris. conf. 18. m.  
3. & per totum l. 4. Et hæc observanda plurimum, ut  
monet Lott. n. 8. pro interpretatione antiquorum  
indulctorum, de conferendo in mensibus, quæ ordi-  
naria dispositioni cedunt, distinguedo videlicet  
tempora, quibus diversæ hæc regula diversimodo  
fuerunt & promulgata & recepta.

*Quæstio 553. Quæ origo, & quis processus hæ-  
jus regula?*

1. R Espondeo primò, ejus auctorem dici à Burfat,  
cons. 126. n. 101. Alexand. V. Anno 1441, Lott.  
cit. q. 37. n. 2.

2. Secundò, differt autem in pluribus hæc mo-  
derna regula ab eadem antiqua, dum in ea multa ad-  
dicta sunt & mutata. Garc. p. 5. c. 1. n. 445. de quibus  
particulari vide eundem n. 449. 450. 460. 465.  
470. 482.

3. Tertiò, olim non solebat edi & ponni inter alias  
regulas Cancell. sed separatis, unde non obstat, quin  
interim, nimirum tempore, quo post alias regu-  
las ea edebatur, fieret ab Ordinario provisio in  
mense per eam reservata. Garc. n. 438. 439.

4. Quartò, ante tempora Sixti V. fiebat ad quin-  
quennium, & eo finito renovabatur, ut videtur est  
in hac regula edita à Pio V. & Gregor. XIII. Garz. n.  
446. Sed neque de stylo, finito quinquennio, ex ta-  
citurnitate Papa censebatur prorogata ad aliud  
quinquennium; sed dum non renovabatur, cessabat  
omnino. Garc. n. 447. & 448. contra Gonz. ad hanc  
reg. in proœm. §. 4. n. 17. Quin & necessarium fuisse  
novam acceptationem alternativæ elapsi quin-  
quennio illo, afferit ibid. Garc. quamvis Rota in Fa-  
ventina canonicius de anno 1585. dicat, quod hæc re-  
gula renovata, eo ipso alternativæ acceptatio cen-  
sebat continuata,

5. Quintò à tempore Sixti V. facta hæc reser-  
vatis seu regula usque ad Papæ ejus conditoris bene-  
placitum, adeoque durabat toto tempore Pontifi-  
cati illius, nisi ab eo revocaretur. Garc. n. 446. ci-  
tans Zerol. Denique unâ cum regulis Cancelli. alii  
hæc regula hodiecum edi consuevit, pluribus im-  
mutatis, ut dictum, aut adjectis, & in eam, prout à  
Clem. VIII. & Paul. V. editam integro volumine e-  
lucubratissimo commentatur Hieron. Gonz. pri-  
mo Romæ editus 1604. & post illum Chok.

*Quæstio 554. Quæ sint partes hæc regula?*

1. R Espondeo: dividit illam in partes principales  
duas, quarum utram bifariam subdividitur.  
In priori parte prima partis principalis re-  
servantur beneficia Ecclesiast. omnia, cum, & sine  
cura secularia, & quorumcunque Ordinum regu-  
laria, qualitercunque qualificata, & ubicunque  
existentia, ad collationem, provisionem, elec-  
tionem, presentationem, & quamvis aliam disposi-  
tionem, quorumcunque Collatorum (nimirum, si-  
ve sint tales ex officio, ut Episcopi, sive ex privilegio,  
sive ex fundatione, sive ex præscriptione,  
nisi sit iuspl. laicale vel mixtum. Castr. p. 22. §. 3.  
n. 8. Garc. p. 5. c. 1. n. 620. Gonz. gl. 21. n. 19.) vel  
collaticum (quæ alias non venissent sub nomine  
Masculino Collatorum, ut probat Castr. ibid.)  
secularium, & quorumvis Ordinum regularium  
(non tamen Rom. Ecclesiæ Cardinalium, aut alio-  
rum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam &  
quos-